

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Ionstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Exangvibvs|| Aqvaticis|| Libri IV||

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVII.

VD18 90529022

Appendix. De Qvibvsdam Crvstaceis Brasiliensibvs Cancris Inprimis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11100

A P P E N D I X.

DE QVIBVSDAM CRVSTACEIS BRASILIENSIBVS
CANCRIS INPRIMIS.

CAPVT I.

De Guaja Apra, cancro maximo.

TAB. IX.

GVAIA APARA, cancer maximus, elegantissime variegatus. *Corporis* figura est Lunae bissectae similis, in latitudine habens tres digitos, in longitudine duos et semis (quanquam et majores reperiuntur). *Testa*, ut dixi, lunata est, in utroque latere posterius exsecta, et in acumina desinens. Anterior pars testae ultra medietatem coloris est obscure brunni, et variegata maculis ex albo flavescentibus: posterior pars ex albo flavescit, striis brunnis secundum longitudinem ornata.

Pedes habet octo; singulos quatuor internodiis constantes, subrotundos, ex albo flavescentes: brachia duo, quodlibet duos et semis digitos longum, et sesquidigitum latum, quodlibet parva forcipe praeditum, quibus non ita arte comprehendere potest, ut alii cancri. Est autem quodlibet brachium superius armatum et dentatum instar cristae galli, ita ut quando vivus brachia corpori applicatis ea componit, uti aptissime potest, cristas duas galli sibi invicem appositae esse appareat. Tenacula repraesentat rostrum galli, brachium itaque totum rostrum galli cum sua crista. Brachia autem etiam ex albo flavescent, et maculis brunnis sunt variegata. In aquis natans per os aquam exsufflat, quasi ex fonte exsiliret.

GVAIA alia species. *Corpus* rotundum, paulo oblongum, juglandem cum suo viridi cortice aequat, octo habet *pedes* cancrinos: duo *brachia*, quodlibet fere duos et semis digitos longum, at exilia; in parte extrema corporis tres habet aculeos

obtusos, et oculos plane exiles. *Color* totius corporis, brachiorum et pedum est albus; ac tota testa dorso egregiis maculis brunnis ordinatim distincta, in summitate majoribus, at in lateribus, minoribus: *Brachia* parvulis maculis ex rufo purpureis sunt variegata: pedes albicant in totum, ut et venter.

GVAIA alia species, quae rarius capitur. *Corpus* ellypticae figurae, latum, tres digitos et totidem longum, aut paulo minus; testa tecta est ellyptica, in ambitu multis corniculis praedita, superius autem convallibus: *ocelli* parvuli, ut alii: in quolibet latere pedes quatuor cum quatuor juncturis. *Crura* subhirsuta, et in extremitate unguem nigrum corniculi figura habentia. Anterior autem crus tres digitos longum, reliqua semper breviora unum altero. Brachiorum cum forcipibus, cujuslibet longitudo trium digitorum, crassities humani digiti, forcipe sesquidigitum longa et satis crassa. Ipsae extremitates forcipis paulo plus sesquidigitum longae, rostratae et exterius versus dentatae, quasi denticulis humanis, et ita apte sibi invicem quadrantes complicatae, quasi quis rostrum dentatum clauderet, in una tenacula forcipis, quae movetur seorsim, in medio etiam est dens albicans. *Color* totius cancri vivi saturate rubens, ut pruna nostratia majora esse solent, in medio corpore saturator, reliquis partibus dilutior: extremitas tenicularum rufi cum brunno mixti, ut cerasa nigra tingere solent. Coctus retinet colorem.


CAPVT

Guaia Apra. Tab. IX.

Guaia

alia

species



Guaia

alia



Guaia Miri.



Ciccie Panema.



Voa Vna.



Carara Vna.



Ciri



Apoa.

Guanthumi.



Anatu et Anabupinima



Maracoani.



Potiquiquixe.

14



Potiquiya.




16

Guaricuru.



Pannacare.





CAPVT II.

De Guaja Miri, Carara Una, Cunuru, et Ciecie Ete.

GUAJA MIRI, cancerculus in falsis fluviis degens, nunquam excedit pruni magnitudinem; *testa* est ellyptica, anteriore parte in multos angulos definente: *Ocelli* parvi, breves: *brachia* duo, dextrum paulo minus sinistro: *crura* octo, quatuor internodiis constantia, et brevibus pilis hirta: color testae ferrugineus: brachiorum et crurum obscure violaceo-purpureus. Pili crurum pallidi, inferius forcipum latus albi-
cat.

CARARA UNA Cancer parvus, cujus corpus quadratum refert, cujus singuli anguli transversim abscissi, caeterum compressum, magnitudine semi-digiti. *Oculi* prominuli, haud longi, nigri, in angulis abscissis consistentes. *Brachia* brevia, forcipibus obrotundis crassiusculis: *crura* octo haud crassa, sed compressa. *Testa* cum cruribus hepatici coloris, seu instar hepatis tosti: *brachia* itidem: forcipes brunni coloris, qualis succus cera-
forum nigrorum: *Crura* minutulis

pilis hinc inde vestita, ejusdem cum cruribus coloris.

CUNURU, foemella est *Uca* una, figura et colore conveniens, solum magnitudine corporis et brachiorum differt, minor enim est, quam mas, et brachia habet parva, brachio maris sinistro vix aequalia, sinistrumque paulo grandius dextro; raros quoque habet pilos, cum *Uca* una tota sit hirsuta.

CIECIE ETE Brasiliensibus: *Crangverfinho des Manges* Lusitanis: *corpus* ad quadratam figuram accedit, et totum vix superat majoris avellanae magnitudinem: *Oculi* prominentes longiusculi quos recondere potest. *Crura* octo: brachium sinistrum ipsi maximum, non tamen crassum, forcipis tenacula tenuia et longa, aequalia, sine dentibus: dextrum brachium tenuissimum. *Testa* coloris hepatici: reliquum totum corpus cum cruribus obscure flavum ex pallido.

Edulis est; et Brasiliani illo curant morbum, quem vocant *Mia*.

CAPVT III.

De Ciri Apoa, Uca Una, Guanbumi, et Aratu Pinima.

CIRI APOA Brasiliensibus. Cancer marinus, *testa* quasi ellyptica tectus, quae in medietatis anterioris *ora* dentata, et in quolibet latere in acutum definit angulum, mediocris magnitudinis. *Brachia* habet duo mediocria, itidem dentata: sex *crura* et septimi et octavi loco posterius duos remiges planos, quatuor internodiis, circum circa pilosos, quibus utitur natans. *Oculi* longe a se invicem distantes, parvuli, cylindracei, crassiusculi, non tamen longi et ad quemlibet cirrhulus eminet instar pili. Totius testae color fuscus, seu nigricans, in qua diverso fusco cordis figura, aliae-

que depictae. *Brachia* fusca, forcipes ex caerulecente alben. *Crura* ad medietatem internam viridi et albo mixta: medietates exteriores caeruleae: remigum extrema pars, quae lata est, caerulea, reliqua viridis et albo mixta. *Corpus* interius etiam caerulefcit. Boni sunt saporis. *Ciri* ordinarie in fundo aquae salsae ambulant, interdum tamen ad littora prodeunt cum decremento maris, sed rarius. Capiuntur maris refluxu.

UCA UNA Cancer in palustribus degens, *corpus* ejus ellypticum, superius convexum, juglandis cum suo cortice magnitudinem aequans
e vel

vel etiam superans. *Crura* habet octo, quatuor juncturis: anteriora longiora, posteriora breviora: *Oculos* haud longe distantes, cylindraceos, haud longos, quos erigit et recondit, coloris pallide flavescens, pupilla hyalina. *Brachium* dextrum ipsi maximum, interius multis tuberculis acuminatis praeditum, ut et forceps: sinistrum parvum. Color *testae* superius olivaceus, flavo in extremitate intermixto. *Corpus* interius pallide flavescit. Omnia crura et brachia castanei sunt coloris, forcipes etiam superius, caetera pallide flavescens una cum tenaculis. Crura omnia inferius vestita sunt copiosis pilis longiusculis obscure castanei coloris. Carne sunt bona.

GVANHVI, Cancer terrestris: corpus illi rotundum, sed paulum compressum, magnitudine Auriaci mali.

Pedes habet octo, quinque digitos longos, quatuor internodiis: *crura* longis pilis vestita: os magnum et ad latera oris utrimque latitudine unius digiti hirsutum, ut et corpus: *Brachia* duo, dextrum magnum, sinistrum parvum, magnum longum octo di-

gitos, latum plus duobus; parvum vix quartam partem illius aequat.

Oculi bini, quos instar parvae pilae erigit, et iterum in longa cavitate abscondit: circa os quasi duo brachiola, quae recondere potest, et iterum depromere, et usque ad oculos deducere.

Celerime currit, et quidem transversim, ita ut oculos ad latus convertat et brachium majus elevatum gestet. Maximo numero in silvis paludosis oberrant. Carnem habet bonam.

ARATV et ARATV PINIMA. Cancer terrestris, quadratae figurae, corpore haud magno, *testa* multiplici colore picta, brunno, caeruleo, albo, rubro punctatim varie intermixtis.

Oculi prominentes longe distantes, nigri, in angulis rostri positi.

Crura octo, quatuor internodiis, compressa, rufa, ac per totum maculis purpureis, nigris ac albis distincta. *Chelae* duae non ita magnae, aequales, rufae, in extremitate ex albo flavescens. In ventre etiam flavescit. Crura raris pilis nigris vestiuntur.

CAPVT IV.

De Maracoani, Potiquiquiya, et Tamaru Guacu.

MARACOANI, cancer parvus, in locis ambulans, quae refluxu maris sicca evadunt, alio enim tempore e latibulo suo non prodit: corpore est fere quadrato, digitum longo et lato, anterieus tamen paulo latiori: *Oculi* prope sibi invicem appositi, longi plus semidigito, tennes instar aciculae crassioris, quos erigere et apte in rima recondere potest.

Os habet amplum et majus quam caeteri cancri: *crura* octo, quatuor internodiis. Brachium dextrum illi maximum, tres digitos longitudine superans, satis crassum, et se totum post illud potest abscondere: forceps autem brachii latior, haud cras-

sus, referens forcipem sartorum, extuberantiis haud acutis loco dentium praeditus; superficies brachii etiam parva tubercula habet: *brachium* sinistrum minimum, minus uno e pedibus, forcipula minima instar scorpionis.

Crura raros habent pilos fuscos. Coloris est in testa fulvi, ut et in pedibus et minore forcipe, atque in inferiori corpore: extremitate pedum magis rufescunt. Brachium dextrum e fulvo obscure rufescit. Est edulis.

POTIQUIVIVA Brasiliensibus. Locusta marina, Belgis Zeekreeft. Longitudo corporis a fronte ad extertum

ortum caudae septem digitorum, *caudae* sex: latitudo *testae* dorfi septem, *ventris* duorum et semis: totius corporis ambitus novem digitorum et semis; *caudae* ambitus quinque, quae constat sex tabellis, septem juncturis sibi invicem appositis: et habet cauda ad quodlibet latus inferius quatuor pinnas, sesquidigitum longas, unam latas: extremitates laterales cujusque tabellae definunt in cornu acutum: in quolibet latere quinque habet crura, quinque internodiis distantia; primum par crurum sex digitos longum, alterum novem, tertium pedem, quartum septem digitos, quintum quinque: Quodlibet autem unguem habet incurvum, acutum, pilis multis flavescentibus hirtum, instar penicilli pictorum: crus anterior crassitie digitum aequat, reliqua graciliora.

Testa corporis varie tuberculata, frequentibus eminentiis instar corniculorum rectorum, acutorum, anterior scatur.

Oculi prominentes cylindracei, et post eos duo cornua surrecta antrosum inclinata, digitum longa; ante oculos supra os quatuor cirrhi exortum sumunt, primo duo magni pollicis humani crassitie in exortu, ubi quatuor internodiis constat, longi sesquipedem et undique spinosi, inter hos duo minores, quatuor internodiis, teretes sine spinis, ac ultra medietatem bisecti, decem in totum digitos singuli longi.

TAMARV GVACV, Brasiliensibus: *Camaron de Salgado* Lusitanis. Locustae marinae species, novem digitos longa, vel paulo plus.

Capitis longitudo duorum digitorum; versus caput magis magisque angustatur.

Corpus autem habet undecim quasi juncturas, quemadmodum cauda in Gammaris: in postica parte corporis ad quodlibet latus duos habet processus subhirsutos.

Totum corpus tectum est crusta cancrina, albicante, splendente instar cornu politi, ad juncturas autem subnigricat aut purpurascit; pedes in quolibet latere tres, nimirum ad tertiam, quartam et quintam juncturam a collo numerando; exilia, duos circiter digitos longa.

Caput triangulare, olivae magnitudine sub testa albicante splendida latet, duos digitos longa. Pone caput ad quodlibet latus habet brachium unum, septem digitos longum, quatuor juncturis constans, estque extrema pars brachii ab ultima junctura incurvata instar falcis majoris, et novem dentibus acutissimis praedita: his brachiis ferit, et qui vulnerati sunt, aegre sanantur.

Oculos habet prominentes, oblongos: barbam cancerinam octuplam: prope oculos duas prominentias retrorsum versas, digitum longas, laeves, at in extremitatibus hirsutas: infra caput adhuc octo prominentias, duos digitos longas, quae in extremo tubercula gerunt. Versus posticam corporis partem inferius multas latas quasi pinnas habet, quae natationi haud dubio inserviunt, et quasi folia complicata ventri inferius adjacent. Non comeditur.

CAPVT V.

De Paranacare et Guari curu.

PARANACARE: *Gammarus* in concha degens, haud edulis, tres digitos longus: brachia habet duorum forcipibus, crura quatuor longissima, nimirum tres digitos longa,

et post haec quatuor plane breviora; caudam sesquidigitum longam instar aliorum Gammarorum; oculos longos et prominulos: duos cirrhos pro barba.

Sensus.

Sensus eis Plinius adimit, tribuit Aristoteles. Purpuris escas putidas Purpurarii emoluntur, acceduntque odore sine dubio illectae ad ipsas. Ungues ad strepitum se subtrahunt, inferiusque sublidere cernuntur, quoties ferramentum sentiunt admove-ri. Exiguo namque extant, reliquo autem toto corpore perinde ac in cubili occiduntur. Natices qui capiunt non adverso, sed secundo flato adeunt, quoties escam persequuntur, nec voce ulla sed silentio agunt.

Antipathia.

Antipathiam cum tonitru habere creduntur, et adhaerescens tempestatis signa sunt.

Ufus.

Adeo olim in *Cibis* adhibebantur, ut inde confirmatum sit adagium, conchyliis viduarum cupedias, et Plinius, luxuriae matrem Conchyliorum, pretia margaritis propemodum aequasse, queritur. Commune omnibus falsum quendam in sua carne succum habere, quo alvum ciere nata sunt: quod si probe assentur, maxime tum falsa evadunt, ut quae succum jam habeant ab igne veluti succensum, et prope dixerim, absumptum. Mollitie tamen et duritie operationis variatur eventus. Venerem invitare certum, unde eam Concha Cyprum vectam quidam, alii e concha natam voluerunt. In *Medicina* quoque locum invenisse in specialibus dicemus.

TITVLVS II.

De Testaceis in specie, et primo de Turbinatis in genere.

SUPERIORE titulo Testaceorum omne genus, in Turbinata, Turbines, conchyliis bivalvia seu διδυμα, et μονώδυνα seu univalvia distinguimus: Turbinata vel in genere, vel in specie considerantur. In genere dicta Turbinata sunt illa, quaecumque in volutas et anfractus seu spiras, quales in praelis et torcularibus visuntur, Testas suas quoquo modo reflectunt. Graeci τρομβώδη vocant, Gesnerus ἐλικοειδή quoque dici posse putat, quod ἑλικας vocent, quas diximus, volutas. At Rondeletio τρομβος in genere pro omnibus Turbinatis sumitur. Turbo autem est id, quod ex amplo et lato paulatim in mucronem definit, cujus figurae est et Turbo luforius. Proprium illis est testam habere continuam totam et unicam, si externa spectemus. Si interna considerentur, quodammodo similem naturam nata sunt omnia, magnitudine autem distant et aliis affectibus, qui excessu comparantur. Quaedam enim, quae maiora sunt, suas quoque partes conspectiores habent: minora autem minus: sic etiam duriora et molliora, et ejusmodi alia alii. Nam quae caro summa a testae ostro exorta est, eam quaedam fir-

miorem quaedam solutiorem habent. Ex ejus medio caput est et cornicula bina; in majoribus proceriora, in minoribus minima. Eximendi capitibus eadem omnium ratio, et perterrefactis contrahendi. Habent quaedam os et dentes, minutos, tenues. Quaedam etiam muscarum more habent proboscidem, linguae specie. Haec dura est buccinis et purpuris. Nam quemadmodum Tabani et asilus tergora quadrupedum pertundunt: ita his tanta est duritia, ut escarum testas perforent. Subest ori statim venter similis avium ingluviei, qualis est etiam umbilicis. Infra duo candida quaedam, firma, specie mammillari, qualia in sepiis inveniuntur: sed haec solidiora. A ventre gula duplex longa ac papaver usque quod in fundo est. Quae omnia perspicere possunt, in sinu vorticoso testarum. Quod gulae jungitur intestinum est, a qua, continuo tractu fertur totum simplex usque ad exitum, incipi eas a vorticoso sinu, quo papaver continetur, atque inde laxiorum. Est autem papaveris magna pars quasi excrementum in omnibus ostraceis. Inde intestinum reciprocans rursus ascendit ad carnosas partes, atque circiter caput

Arist. H. A.
l. 4. c. 4.